CCCCXI

Augustißimo, Illustrißimo, et Serenißimo MONARCHÆ,

CAROLO SECUNDO

DEI GRATIÂ MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ & HIBERNIÆ *REGI*, FIDEI DEFENSORI, *&c.*

COLLEGII REGII UNIVERSITATIS ABERDONENSIS PATRONO MAGNIFICENTISSIMO.

S. P. D. C.

DUM omnium ordinum ſubditi tui (MONARCHA INVICTISSIME) de reditu & adventu hoc fœliciſſimo variis ſua gaudia modis teſtari certant æmuli, adeo omnem implevere paginam, ut nihil nobis hujus TUÆ REGIÆ ACADEMIÆ alumnis reliquum fecerint. Cogimur itaque (apage cogimur,) imo jucundiſſimam neceſſitatem lætis amplectimur, grato et ſpontaneo animo, cum Philoſophi Socratis diſcipulo illo egeno, quod nobis tantum ſupereſt, noſmetipſos, et omnia quæ noſtra ſunt, quod ſumus quod poſſumus MAJESTATI offerimus VESTRÆ, quantum hujus ſcedulæ exiguitas patitur, ingenuè teſtamur et profitemur nos in TE, per TE, a TE, et de TE, unico et ſolo tanquam capite tenere et pendere: TIBI tanquam SUCCESSORI et HÆREDI indubitato prædeceſſorum tuorum SCOTIÆ REGUM, omniaque nobis grata et chara ſunt, noſtra mœnia, noſtra munia, beneficia officia debemus. cuncta TIBI et illis accepta referimus. MAGNIFICENTISSIME PATRONE et REGIE PARENS, hæc noſtra juvenilia ſereno et placido vultu, accipere digneris, quæ etſi nihil præter candorem, humilitatem et ſimplicitatem ſapiant ſi tamen deeſſent et nos taceremus pueri, proculdubio tigna et lapides hujus tui Athenæi erumperent. Verum ſi SACRÆ VESTRÆ MAJESTATI viſum fuerit, aut per otium licuerit paululum intueri aliorum quorundam, ex hoc etiam COLLEGIO TUO, affectus ſinceros, in concionibus ſacris, et publicis theatris expreſſos, ſperamus quod noſtra tenuitatis deeſt, abunde compenſatum iri; licet et illa ſint Cirrhâ procul et Parneſſide Lymphâ, pene ſub Arctoi ſydere nata poli; nec TE digna ſatis nec ſatis apta TIBI Auguſtiſs hiſce incluſi, nunc penitus invitis cogimur aſpectu S. D. N. nos ſubtrahere, et ad pugnam Philoſophicam, ſub tuis ſacris auſpciis, nos accingere. Omnipotens Deus, Rex regum, et Dominus dominantiũ, qui regit æthereis radiantia ſydera Cœli. S. V. MAJESTATEM incolumem, ter et amplius fœlicem, necnon et magno majorem Carolo præſtet, thronum veſtrum juſtitiâ et æquitate ſtabiliat, et diu ac fœliciter nobis noſtriſque poſteris præeſſe velis, et natorum natos per omnia labentia ſecula, lucida volventur nitido anum ſydera Cœlo, et poſt Sceptra terreſtria immarceſcibilem V. MAJESTATI coronam largiatur. Hæc ſupplices orant.

S. V. MAJESTATIS

humillimi ſervi, et omnibus mancipii vinculis devotiſſimi clientes ac oratores.

D. Robertus Gordonus.	Gulielmus Dalgardinæus.	Gulielmus Robertſonus.	Joannes Forbeſius.	Robertus Martinus.
Alexander Urqhartus,	Gulielmus Davidſonus.	Gulielmus Torræus.	Joannes Mackraius.	Robertus Robertſonus.
Andreas Dalgardinæus.	Gulielmus Joaſæus.	Jacobus Abelus.	Joannes Wakerus	Robertus Strachanus.
Georgius Ruddachus.	Gulielmus Mackſimmæus.	Jacobus Stuartus	Patricius Turnebullus.	Robertus Torreſius.